



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Summula Casuum Conscientiæ

In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De
Censuris

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ Agrippinæ, 1652

Articulus VI. De interdictis in particulari, quæ iure ipso contrahuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41572

ARTICVLVS VI.

De interdictis in particulari, qua iure ipso contrahuntur.

In primis interdictum locale generale incurritur, tum quando dominus terræ iniuriosè Episcopum percutit, capit, aut hæc fieri mandat; tum quando impedit ne Legatus, aut Nuncius Apostolicus officium suum exequatur: tum quâdo ciuitas aliqua exigit ab Ecclesiasticis pedagia, vel quidaglia de rebus ipsorum exportandis, vel importandis: tum quando ciuitas aliqua, vrbe excepta, consentit in necem, aut percussionem Cardinalis: tum si ciuitas Episcopum iniuriosè bannierit, occiderit, &c.

Secundò incurritur interdictum speciale locale, tum, quando Episcopus in loco aliquo speciali, vt in castro ab omni populo remoto, per vim detinetur: tum quando clerici, aut Religiosi inducunt aliquè ad iurandum, vt in eorum Ecclesia eligat sepulturam: tum quando hæreticus scienter traditur Ecclesiastica sepulturæ.

Tertio interdictum personale generale incurritur ab vniuersitatibus, concedentibus vsurariis extraneis habitationem, aut concedentibus repræsalias, vel concessas ad clericos extendentibus, aut imponentibus, vel exigentibus decimas, seu tallias ab Ecclesiasticis; aut resistentibus statutis à summo Pontifice, circa diuisionem Episcopatus Tholosani. Incurritur etiam ab vniuersitate, & Capitulo quod non obseruet constitutionem Ioan. XXII. Circa fructus vacantium beneficiorum: aut quod à sententia summi Pontificis, ad futurum Concilium appellat: aut quod sede vacante, infra annum dimissorias concedit, nisi quis ratione beneficii sit ordinandus.

Quarto interdictum personale speciale incurritur,
Iudex

Iudex Ecclesiasticus ferens censuram contra *C. Medicinalis*, de *sententia excommunicationis in 6.* aut ferens excommunicationem non præmissa monitione. Recipiens dignitatem, vel Abbatiam de manu laici Episcopus, vel alius sibi vsurpans ex redditibus Ecclesiæ vacantis. Episcopus, vel Abbas alienans bona Ecclesiæ. Violans interdictum locale ab homine, vel à iure. Episcopus, aut Superior Prælatus in visitatione recipiens ultra ea quæ iis debentur. Iudices Ecclesiastici priuantes beneficiis officiales Romanæ Curiæ, vel alios pro negotiis suis ad eam profectos. Clerici in sacris constituti, qui in crimine fornicationis jacent Prælati edentes commentaria in Tridentinum. Ac denique ii qui culpabiliter causam dederunt interdicto locali generali.

Nota 1. quantum in his casibus se extendat interdictum, ex authoribus qui ista late tractant sumi posse 2 etsi quis ipso iure incurrat interdictum, cum vitandum non esse, nisi sit denunciatus.

ARTICVLVS VII.

De oblatione interdicti.

Interdictum ferri potest, vel in puram pœnam ob peccatum merè præteritum, vel per modum censura ob contumaciam præsentem. Quando fertur priori modo: non solet ferri nisi cum limitatione temporis, quo elapso cessat, nec ante auferri potest nisi per relaxationem superioris. Idem dic si fertur sub conditione, quod hoc, vel illud fiat, tali enim conditione posita, cessat sine alia relaxatione.

At quando interdictum fertur posteriori modo, necessaria est absolutio, si fertur absolute: si autem sub conditione, tunc etsi probabile sit, posita eiusmodi conditione, interdictum cessare, probabilius tamen est adhuc requiri absolutionem.

Interdictum locale siue generale, siue speciale
cum